non poterat in ipsa valle, muro sibi cellulam construxit vel in alto supra rupes, unde usque hodie sunt in valle et superius tantae murorum ruinae, ac si civitas ibi fuisset. Nihilominus adhuc aliquae muratae cellulae stant, et tuguria de maceria multa. Insuper ibi videntur turres altae fuisse et solennes habitationes et domus magnae supra rupes, in rupibus et infra. Ecclesia loci adhuc stat integra, et est competenter magna et est supra rupem fundata, quae rupes de latere extenditur supra vallem, nec habet rupes illa fundamentum, sed est libera per circuitum, demto loco, ubi de pariete progreditur.

Porro sub petra ecclesiae est concavitas tenebrosa et grandis, profunde ducens in montem, ex qua emanat aqua viva, modica tamen, qua monachi ibi vivebant, et dicitur fons S. Sabbae. Horret homo, videns ecclesiam simul cum aliis structuris stare supra petram dependentem sine fundamento. Juxta ecclesiam est cella S. Sabbae in petra excisa, ad quam itur per illum formidulosum transitum, de quo supra feci mentionem. Sunt etiam ab alia parte ecclesiae supra petram illam habitacula monachorum, adhuc ibi degentium, numero sex, qui nequaquam ibi manere possent, nisi essent Arabibus confoederati, qui eos defendunt et protegunt a Sarracenis, et est quasi apertum castrum Arabum et eorum refugium, ideo locus numquam est sine Arabibus praedonibus.

Porro supra vallem sunt lati campi agrorum, quos olim monachi coluerunt, et non solum pro se, sed pro pauperibus Syriae et Palaestinae nutrimenta olei et frumenti de illis campis opera manuum conquirebant. Dum hoc monasterium cum terra sancta adhuc esset in manibus fidelium, talem ordinem servabant monachi in officio divino, qui servabatur in ecclesia dominici sepulchri tam nocturno quam diurno tempore. Cum enim aliqua hora pulsabatur in ecclesia resurrectionis Domini, statim domini canonici regulares in monte Syon etiam pulsabant. Post eos pulsabant monachi montis Oliveti per ecclesias. Quo audito in Bethania, fiebat et ibi pulsus per ecclesias, qui (**B**) pulsus usque ad sanctum Sabba sonabat, qui pulsantes audiebantur in locis per circuitum, et ita ordo tenebatur, quod semper primus pulsus fiebat in

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;